

Neq; deniq; repugnantia *ex parte Creationis*, quia creatio est facere & fieri indivisibile ac momentaneum; quando autem facere & fieri indivisibiliter & factum esse tota simul sunt, tunc facere, & fieri & factum esse etiam simul sunt, & consequenter effectus non est duratione posterior ipsò facere vel fieri, sed simul cum create existit. Hæc argumentò includi possunt: *Quicquid habet esse suum à causâ per fieri indivisibile ac momentaneum, id ipsum si causa causet ab æternò, potest esse æternum. Sed creatura habet esse suum à create per fieri momentaneum. E. Creatura potest esse ab æternò, si DEUS causet ab æterno.* Contrariæ sententiæ Patroni duo præprimis argumenta contra hanc sententiam adferre solent. Primum hoc est: Quicquid est æternum, illud est indefectibile i. e. quod finem & terminum habere non potest, sed contradictionē involvit, creaturam esse indefectibilem, quia quod creatur, illud, sicut per potentiam creatoris esse incipit, sic per eandem potest destrui. E. etiam contradictionem involvit, creaturam esse ab æternò. Resp. (1.) dupliciter aliquid potest æternum vocari (1.) à parte ante. (2.) à parte post. Jam major potest dupliciter intelligi, Primò ita: Quicquid est æternum tam à parte ante, quam à parte post, illud est indefectibile, sic major vera est. Secundò ita: Quicquid est à parte ante tantum, illud est indefectibile atque interminabile, sic negatur major. DEUS enim ab æternò potuisset aliquid producere, & tamē pro lubitu suò illud iterum destruere, ita ut æternitatem à parte post non attigisset. (2.) Resp. negando Minorem. Sicut autem DEUS liberâ suâ voluntate efficere potuisset, ut creatura fuisset ab æternò, ita potuisset efficere, ut fuisset indefectibilis. *Secundum argumentum est: Si creatura potest esse ab æternò, peribit efficacità illius argumenti: Quicquid est ab æternò, illud est verus DEUS; λόγος ὁ υἱός ἑστιν ὁ θεός. s. Filius DEI est ab æternò. E. est verus DEUS*

DEUS